

rensem strepitum deflexisset. Is amici su-  
bita causa, & moras respuente necessita-  
te, ipso quotidiano ac domestico quo  
forte inuentus est habitu, rogatus in iu-  
dicio venit. Nouus Iudex, qui tribunal  
impleuerat, egregio viro nec assurexit,  
nec aliquo cum honore dignatus est. Cœ-  
perat Donatus amici causam planis ver-  
bis ac vulgaribus agere, & illum in sin-  
gulis dictis obluctantem urbane admo-  
dum ac suauiter conuincere. Indignatus  
Iudex, tanquam maius aliquid dicturus,  
sic interrogauit: Scis literas? at ille: Scio  
paucas inquit. Risit insulsus Iudex idio-  
ram ratus: Ad incepturn rediit sermo-  
nem: nec ante se delusum sensit, quām  
disertissimi viri & ratione simul & ora-  
tione superatus. Nomen abeuntis quæ-  
rens, ab astantibus didicit Donatum esse,  
cuius ea tempestate non Paduæ tantum  
celebris, sed per omnem Italiam fama-  
erat. Deinceps ad ea transeamus, in qui-  
bus per magnum ingenium, nec minor  
festiuitas, sed morsus est acrior, quibus ab-  
undare & si prudentis non est, qui tamen  
præcedentibus similia erant, ad eloquen-  
tiā similiter spectare videbantur, qua-  
liacunque forent segreganda non censi.  
De mordacibus iocis.

DE